

28 C A T E C H I S M U S

patre unctus, & lætitiæ oleo, id est, Spiritu sancto, confirmatus in Prophetam, sacerdotem & regem.

67 Tres igitur sunt officii Christi species: Officium Propheticum, quo nos docet malum nostrum & bonum divinæ gratiæ. Sacerdotale, quo nos redimit à malo nostro & parat nobis divinam gratiam. Regium, quo nos defendit ab omni malo & tuetur in illa parata & nobis collata gratiâ.

68 Status Christi duplex est: Ex inanitionis & Exaltationis. Utriusq; tres indicantur gradus inter se oppositi.

69 *Ex inanitionis* nimirum solemnis illius & extremæ gradus sunt: Passio ad mortem, sepultura & descensus ad inferos.

70 *Passio* ad mortem est, qua sub judice Pontio Pilato multa probra, convitia & tormenta sustinuit, usq; dum in ligno crucis ignominiosissimè & tanquam execrabilis pendens & voce magna exclamans, Eli lama sabachthani, spiritum emitteret.

71 *Sepultura* est quâ corpus Christi demortui de cruce sumptum in sepulchro novo reconditum est.

72 *Descensus ad inferos* est extremus ex inanitionis Christi gradus, & omnis passionis clausula. Per cum quid sit intelligendum,